dem foro reconveniri rectè poterit: uti si Clericus à laico per sæcularem Judicem, quod illi mutuo dedit, expetat; etiam laicus suum æs, si illi crediderit, in eodem foro jure reposcet: *Cap.* 1. *et* 2. *de Mutuis petition.* (**) et *Leg. LVII. ibid.* (*) Excipiendæ tamen caussæ omnes criminales, spirituales, æque omnes, in quibus Clericus nomine Ecclesiæ in laicum judicium intenderit, in quo ipsum pro suis rationibus reconvenire nemo quiverit. Eodem reconventionis intuitu Clericum actorem in judicio succumbentem ad illata reo damna reficienda judex laicus jure damnabit.

XIX. Sequitur quartus titulus, scilicet jus *Congrui*, ut ajunt, sive *Retractus;* hoc est ubi Clericus prædium emat in fraudem vicinorum, qui in ea emtione jus habet *Retractus.* Olim neque à laico adversus Clericum, neque à Clerico adversus laicum hujusmodi juris actio intendi poterat: at ex novissimo Regio Rescripto ad Reg. Cam. S. Claræ dato die 17. Martii an. 1762. laicorum, Clericorumque hoc in capite conditio æquata est: statumque Clericos, æque ac laicos juri Retractus subjectos esse, atque in Curiis laicalibus omnes ejusmodi quæstiones expediendas esse. Id quod de Clericis intelligendum est, haud verò de Ecclesiis, quæ, æque ac via publica, et Fiscus, nec agere, nec conveniri possunt jure *Retractus:* Constit. *Sancimus*, Tit. *de Jure Protimeseos.* (**) Apud Hispanos jus *Retractus*, est jus concessum consanguineis intra quartum gradum consistentibus, repetendi prædium, ab ejus adscendente cuicui extraneo venditum, infra novem à venditione dies, servata tamen inter eos gradus prærogativa, ut semper proximior præferatur; quod jus in bonis solummodo, quæ vulgò *de Patrimonio, et Abolengo* nominantur locum habere potest. Sane de hac re nihil nostris Legibus constitutum invenimus; videtur tamen de hoc Clericum conveniri, et convenire debere apud Judicem sæcularem: argum. *Leg. LVII. Tit. VI. Partit. I.* (*)

XX. Ultimus denique titulus est Jus Principum arcendi violentias à civium possessionibus. Qua de re civi, qui vim in possessione vel passus est, vel ei imminere formidat, regium præsidium non denegatur adversus quoscunque sive laicos, sive Clericos, et quidem ex beneficio V. Capitulorum Regni. Verùm laico nefas est ejusmodi uti præsidio, ubi vel absque vi possessione exciderit, vel dubia sit possessio, vel denique pateat illegitimi possessoris injustitia: his enim casibus judicium jure ordinario in foro Episcopali instituendum est: Regens de Ponte in Tract. Ms. *De Regni Capitulis*, aliique apud Gagliardum *ibid. n.* 18.

(**) XXI. Hic sane titulus Supremæ Regum potestati adhærens, scilicet amovendi violentias, et oppresiones à civium personis, et possessionibus, qui et ab ipsa videtur naturali lege procedere, in debito illo, quod Imperatores Christianos ad Ecclesiam tuendam constringit, fundatur: *Principes* enim *sæculi nonnunquam intra Ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenent, ut per eamdem potestatem disciplinam Ecclesiasticam muniant.... et sæpe per Regnum terrenum cœleste Regnum proficit, ut qui intra Ecclesiam positi contra Fidem, et disciplinam Ecclesiæ agunt, rigore Principum conterantur.* Isidorus *Can. XX. Caus.* 23. *Q. V.* Injuriæ quidem, si quæ à Judice Ecclesiastico subditis irrogentur à nullo nisi à Patre patriæ repelli, aut reparari possunt. (*)

(**) XXII. Hanc Regum protectionem necessariam duxerunt Hispaniarum Patres, quippe qui nedum non improbarunt, sed et ratam voluerunt consistere consuetudinem, quod Clericus vel prægravatus, vel inauditus à proprio, vel ab alterius provinciæ Metropolita *ad Regios auditus negotia sua perlaturus* accederet. Syn. Tolet. XIII. *Can. XII.* Quocirca non immerito Alphonsus Sapiens dixit Regem constitutum esse ad repellendas subditorum oppressiones: *Leg. V. Tit. I. Lib. II. Ordinam. Reg.* ac Philippus II. *Leg. II. Tit. VI. Lib. I. Novæ Recop.* ejusmodi Protectionis jus antiqua consuetudine, et Carolus V. *Leg. XXXVI. Tit. V. Lib. II. Novæ Recopilat.* immemorabili consuetudine confirmatum esse. (*)

(**) XXIII. Tres sunt casus, in quibus cives violentiam pati possunt à Judice Ecclesiastico; scilicet *in cognoscendo, et procedendo; in modo cognoscendi, et procedendi; et in denegando adpellationem*, qui quidem recensentur *Sanct. IV. cap.* 2. *Tit. I. Lib. IV.* vulgò *Autos Acordados.* Quamobrem 1. Clericus exsistimans se à Judice Ecclesiastico oppressum, ad Tribunal Auditorum Provinciæ in qua passus est injuriam, accedere debet: *Leg. XXXIX. Tit. V. Lib. II. Novæ Recop.* à quo Processus originales Judici Ecclesiastico exiguntur, quibus inspectis, violentia removetur, si adfuerit; si verò eam non interfuisse deprehendatur, ad eumdem Ecclesiasticum judicem Processus restituuntur, damnato in expensis petitore: *Leg. XXXVI. Tit. V. Lib. II. Novæ Recop.*

2. Recursus Visitationis utriusque sexus Regularium, in Regio Castellæ Senatu discutiuntur: *Leg. XL. ibid.*

3. Recursus, qui in jure Protectorio, et in executione Concilii Tridentini fundantur, et recursus quoque à violentiis Judicum Conservatorum, in eodem Supr. Castell. Senatu cognoscuntur: *Leg. LXXXI. ibid.* et *Leg. VIII. Tit. V. Lib. I. Novæ Recop.*

4. In caussis de Episcoporum spoliis, violentiæ recursus in Prima Gubernii Aula Supr. Castell. Senat. dirimuntur: *Sanct. XXIII. Tit. IV. Lib. II.* vulgò *Autos Acordados.*

5. Caussarum Regii Patronatus recursus primo in Regio Cameræ Tribunali expendi debent per viam Retentionis, et per Provisiones, quæ vocantur *per contemtum Regiæ dignitatis*, in quo si locum non adesse Retentioni declaretur, in Supr. Castell. Senatu omnibus convenientibus Consiliariis, recursus violentiæ discutitur: *Sanct. XV. Tit. VI. Lib. I.* vulgò *Autos Acordados.*

6. Postremo animadvertere oportet, locum non esse violentiæ recursui, nisi in Actibus, qui vim definitivorum habent, non in mere interlocutoriis: *Leg. XXXVII. Tit. V. Lib. II. Novæ Recop.* Neque in caussis Supr. Inquisitionis Tribunalis: ex *Sanct. IV. cap.* 12. et 18. *Tit. I. Lib. IV.* vulgò *Autos Acordados.* Neque in caussis Tribunalis S. Cruciatæ: *Leg. VIII. Tit. X. Lib. I. Novæ Recop.* et præf. *Sanct. IV. cap.* 18. *ibid.* (*)

CAPUT SEXTUM.

DE FORO ECCLESIASTICO, PROPRIISQUE EJUSDEM CAUSSIS.

I. Ecclesiastico Foro potissimum reservatæ sunt caussæ omnes spirituales, vel spiritualia negotia spectantes: quumque de his agatur, omnes æque Clerici, ac laici ad Ecclesiasticum tribunal eas deferre jubentur. Earum porrò aliæ sunt Civiles, Criminales aliæ. In Civilium censu primo sunt caussæ de Sacramentis, quas profecto pro eorumdem substantia, quin ad Ecclesiasticum Judicem unum, et *privative*, ut dicitur spectent, in dubium revocare nullus potest. Quamobrem proprium, ac præcipuum unius Episcopi munus esse, quos idoneos noverit, ad sacerdotium promovere, ex his alios ad excipiendas fidelium confessiones, alios verò ad animarum curam habendam designare, ceteraque id genus præstare, de quibus satis *Lib. I.* res est inter Catholicos extra omnem dubitationis aleam posita.

ARTICULUS I.

DE CAUSSIS MATRIMONIALIBUS.

II. Verùm ex hujusmodi caussis vix, aut ne vix quidem aliæ ad contentiosum forum producuntur præter Beneficiarias, (**) de jure Asyli, Decimales, (*) et Matrimoniales, quum scilicet de validitate Matrimonii agatur, aut Sponsalium: *toto Tit. de Spons. et Matrim.* Trid. *Sess. XXIV. Ref. Matrim. cap.* 2. et novissimum Concordatum *Cap. VI. art.* 5. (**) et *Leg. LVI. Tit. VI. Part. I.* et *Leg. VII. Tit. I. Part. IV.* (*) Uti quoque ad Episcopum spectant caussæ de Divortio, et separatione conjugum quantum ad torum: *Cap.* 1. *et* 2. *de Divortiis.* Benedictus XIV. *de Syn. Diœces. Lib. VII. cap.* 35. *num.* 4. (**) imò et de quovis impedimento dirimente: *Cap.* 3. *de Divortiis: Leg. VIII. Tit. VI. Part. I.* et *Leg. VIII. Tit. X. Part. IV.* (*) Adhæc quum ex Regula Juris Judex competens in principali competenter etiam jus dicat in accessorio: *Leg. I. Cod. de Ordin. Judic.* et *Leg. III. Cod. de Judiciis:* hinc Judex Ecclesiasticus, ubi de matrimonii caussa cognoscit, posset etiam de dote, de donationibus nuptialibus, de præstandis alimentis cognoscère: *Cap.* 2. *et* 3. *de Donationibus inter vir. et uxor.* nisi contrarium usu, moribusque receptum esset; scilicet, ut emergentes ejusmodi quæstiones Judici laico definiendæ relinquantur: Benedictus XIV. *ibid.* (1)

(**) III. In Hispania quum judex Ecclesiasticus de valore Matrimonii cognoscit, alimenta uxori interim præstanda decernit; de dote verò, vel hujusmodi juribus temporalibus emergentes caussas Judici laico dirimendas relinquit. Verùm quia caussæ *legitimæ filiationis*, scilicet, quum dubitatur, an aliquis ex legitimo Matrimonio natus sit, quippe quæ in validitate Matrimonii nituntur, ad Ecclesiasticum forum pertineant: *Cap.* 3. *de Ordin. cognit.* et *Leg. LVI. Tit. VI. Part. I.* ¿quid, si laico de successione, vel alia consimili caussa cognoscente, de filiatione dubium exoriatur? Jure Decretalium caussa hæc ad judicem Ecclesiasticum deferenda esset, et à laico, donec de legitimitate decideretur, supersedendum esset: *eod. Cap.* 3. Moribus tamen nostris inductum est, ut si dubium de facto procedat, à sæculari judice progredi possit in caussæ incidentis cognitione; non ita si dubium sit de jure, eo quod ait Gonzalezius in *Cap.* 3. *laud. n.* 15. laicus nedum incompetens judex sit, sed et incapax de juribus matrimonii, uti spiritualibus rebus, dijudicare. Si tamen in memoriam revocamus, quæ *Lib. II. Tit. IX.* §. 2. tradidit Selvagius, nempè, Principes, posse constituere impedimenta, quæ etiam matrimonium dirimant, revera laicus incapax dici nequit, sed incompetens tantummodo judex, in caussis, quæ de valore matrimonii illorum ratione agitentur. (*) (2)

ARTICULUS II.

DE CAUSSIS BENEFICIARIIS.

IV. Caussæ Beneficiariæ, atque adeo etiam jurispatronatus, quippe quæ vel spirituales, vel prope spirituales, jure ordinario ad Ecclesiasticum pertinent Tri-

(1) ☞ Ex Bul. Sum. Pontif. Benedicti XIV. die 13 Novemb. ann. 1741 (quam prodidit schedula regia die 21 Jul. ann. 1766) habemus ordinem et formam in caussis matrimonialibus observanda. ☜

(2) ☞ Vetitum est judicibus ecclesiasticis cognoscere de alimentis, litis expensis rerumque dotalium restitutione à lege 20 tit. 1. lib. 2. Noviss. Recop. et etiam per alteram schedulam die 22 Martii ann. 1789. cognitio census atque reditus spectat ad judicem sæcularem. ☜

bunal: *Cap.* 2. *de Judiciis;* Concordatum *Cap. VI. art.* 4. (**) et *Leg. LVI. Tit. VI. Part. I.* puta quum agitur de electione, collatione, aut institutione Beneficii, aut quum disceptatur cuinam Dignitati, Episcopatui, vel Provinciæ aliqua Ecclesia pertineat. (*) Jure, inquam, ordinario: namque, uti sapienter monet Benedictus XIV. *ibid. n.* 7. quædam ex hujusmodi caussis, vel ex privilegio Apostolico, vel ex diuturna consuetudine judici laico dijudicandæ reservantur. Et sanè 1. Utriusque Siciliæ Rex nonnulla in utroque Regno confert beneficia. 2. Caussæ possessionis etiam beneficiorum per vim turbatæ vi Capitulorum Regni in S. R. Consilio, judicio, ut ajunt, summarissimo definiuntur. 3. Controversiæ haud raro exoriri solitæ, num scilicet Bullis Pontificiis, per quas Beneficia conferuntur, impartiendum sit Placitum Regium, an non, in Curia Capellani Majoris, et Regia Camera ex consuetudine discutiuntur.

(**) V. At sicuti in aliis Catholicis Regnis consuetudine invectum est, ut Judices sæculares de interdictis possessoriis Beneficiorum cognoscant, ita et in pluribus Hispaniæ nostræ Provinciis, videlicet in Gallecia *Leg. X. Tit. I. Lib. III. Nov. Recop.* in Navarra *Ordinat. I. Tit. XII. Lib. II.* in Cathalaunia *Consult. ad Card. Ven. Rotæ Cathalaun. an.* 1512. Videsis Lopez in *Hist. Bullæ Cœnæ edit. an.* 1768. *pag.* 54. *n.* 31. In districtu Cancellariæ Granatensis, si fides habenda sit Fariæ in *Addit. ad Covarruvias cap.* 35. *n.* 17. Et quamvis consuetudo hæc generatim in universo Hispaniæ Regno non obtineat, neque illam adprobare audeat idem Covarrubias; nihilominus ita *laud. Cap. n.* 2. suam aperit sententiam: *Non negamus posse justissime judices Regios, qui Prætoriis adsident, et inibi jura partium Regio, et Supremo nomine tutantur, extraordinarie tractare caussam possessoriam, in qua de possessione Beneficii disputetur, ad efectum, ut quieta Respublica sit, ne fiat alicui injuria et violentia, aut indebite possessione, quam obtinet, spolietur.* (*)

VI. Præterea novissimum Concordatum tria excipit Jurispatronatus genera: nimirum Regii, Feudalis, et de Universitate bonorum. Et re quidem vera 1. Regii Patronatus jura quod spectat, Principes jam indè à priscis temporibus plura sibi, vel fundationis, vel dotationis nomine ejusmodi jura vindicasse eruditè demonstrat Gagliardus *ibid. Tit. VII.* §. 22. Quare non modo istiusmodi beneficia Rex confert, verùm et quoties controversiæ exoriantur, quæ ad eadem beneficia spectare videntur, Regis jussu æquè in petitorio, ac in possessorio in Curia Capellani Majoris, et Regali Camera S. Claræ discutiuntur.

At 2. Jurapatronatus feudalia, et de Universitate bonorum, in iis dumtaxat caussis ad Judicem laicum pertinent, quibus vel de patronatu agatur, scilicet num sit feudo adnexus, an non, vel de ipsa bonorum universitate, ejusque legitimo hærede, cui nonnisi simul, et bonorum possessionem, et patronatum adipisci licet.

3. Reliquæ eosdem hosce patronatus spectantes controversiæ ne ad forum laicum pertrahantur, provide sanxit Carolus Borbonius Regio Rescripto 26. *Octobris an.* 1757. apud Gagliardum *ibid. n.* 25.

4. Legata pia, Capellaniæ mere laicales, et beneficia profana, scilicet quæ sine ullo Episcopi consensu, et primitùs constituta sunt, et postea à laicis Patronis conferri consuevere, beneficiariis Fori Ecclesiastici caussis adcensenda non sunt. Quare in his Judex laicus tam in petitorio, quam in possessorio jure cognoscet. Fori dumtaxat Episcopalis jus est Capellanos ad Missas celebrandas, aliaque spiritualia iisdem adnexa munia obeunda compellere ex Panormitano in *Caput* Joannes *de Testamentis n.* 7. cujus sententia usu recepta est.

(**) VII. Caussæ Jurispatronatus, quæ inter Beneficiarias recensentur, viden-

tur fuisse quondam mixti juris in Hispania nostra, hac ducti ratione, quod Concilium Tolet. IX. Can. 1. *Condignis filiis, aut nepotibus, honestioribusque propinquis ejus, qui fundavit, vel construxit Ecclesiam*, curam demandat, *ut si Sacerdotem, vel Ministrum aliquid ex collatis rebus præviderint defraudare, aut commonitionis honestæ conventione compescant, aut Episcopo, vel Judici corrigenda denuntient.... Si autem Metropolitanus talia gerat, Regis hæc auditibus intimare non differant.* Ubi animadvertere licet, *Episcopum*, vel *Judicem*, sæcularem scilicet juxta sensum in quo hæc vox à Gotthis usurpata est, compellere potuisse Sacerdotem, instante Patrono, ut integra bona Ecclesiæ servaret; quinimmo et Metropolitanum, si forte rerum Ecclesiæ fuisset fraudator, Regio judicio subjiciendum. Unde constitutum est *Leg. II. Tit. XXXII. Fori Cantabriæ*, ut Prætores judices sint competentes Monasteriorum, et Patronatuum ejusdem Provinciæ. (*)

(**) VIII. At subsequutis temporibus inducto novo Decretalium jure, hujusmodi caussæ Foro Ecclesiastico privatim adjudicatæ sunt ab Alexandro III. *Cap.* 3. *de Judiciis*, et ab Alphonso nostro *Leg. LVI. Tit. VI. Part. I.* Inter has tamen, caussæ, quæ de præcedentia debita Patrono extra Ecclesiam agitantur, aut de retinenda sibi intra Ecclesiam Sede, aut Scamno, vel quum juspatronatus alicui fundo, oppido, sive feudo unitum est, ad sæculare judicium spectare, auctor est Gonzalezius *in Cap.* 3. *de Judiciis n.* 8. *et* 9. Regii quoque Patronatus caussæ, quin et eæ omnes, quæ eidem Patronatui respiciunt, jamdiu in Regiis Tribunalibus dirimi consueverunt; at nova *Sanctione IV. et VIII. Tit. VI. Lib. I.* vulgò *Autos Acordados* ad Supremum Regiæ Cameræ Senatum pertinere constitutum est. (*)

ARTICULUS III.

DE CAUSSIS FUNERARIIS.

IX. Caussæ funerariæ partim ad forum Ecclesiasticum, partim ad sæculare spectant Satis *Lib. II. Tit. XIV.* ostensum est, Ecclesiasticæ sepulturæ politiam constituere, olim Episcoporum proprium munus fuisse. At jure novo Ecclesiastici quidem juris est, quibusnam indulgenda, vel deneganda Ecclesiastica sepultura sit, decernere, controversias de electione sepulturæ exorientes definire, tempus efferendis, humandisque fidelium cadaveribus designare, ac demum de usu Crucis Parochialis, de abusionibus, quæ hoc in capite à Clericis inducantur, de juribus funerariis inter Ecclesias, Ecclesiasticosque distribuendis, aliasque id genus controversias cognoscere, ac terminare. Ceterum laicos ad consueta funeraria jura persolvenda compellere, exsequiarum pompæ modum præscribere, funebres adparatus constituere, aliaque id genus, hodierni mores, Regiæque Sanctiones sæculari Potestati reservant. (**) *Novell. Justin. LIX. cap. 2. et sequent. Leg. VIII. Tit. I. Lib. I.* et *Leg. II. Tit. V. Lib. V. Nov. Recop.* Qua de re laicus, qui defunctum humari vellet in Ecclesia, cui deest jus sepeliendi, aut in loco, et tempore interdicti, à judice sæculari puniri potest: *Leg. III. Tit. XIII. Part. I.* sicuti et sepulcri violatores, et cadaverum exhumatores: *Leg. XIV. ibid.* (*)

ARTICULUS IV.

DE CAUSSIS OLIM JURE DECRETALIUM AD ECCLESIASTICUM FORUM SPECTANTIBUS.

X. Ac primo caussas Decimarum ad Ecclesiasticum Tribunal pertinere olim edixerunt Alexander III. *cap.* 5. *et* 6. *de Decimis*, et Innocentius III. *ibid. cap.*

26. et 32. Atqui tum in aliis Regionibus, tum vel maximè in nostro Neapolitano Regno, jam indè ab pluribus sæculis mos inolevit, ut fideles nonnisi laica Potestate ad decimas persolvendas compellantur, tum controversiæ hoc caput spectantes in Tribunali laico discutiantur: Grimaldus *Lib. XII. num.* 5. *et* 6. Gagliardus *ibid. Tit. VIII. num.* 2. Qua de re inter Capita Concilii Tridentini à Reg. Villano adnotata, tanquam Regni moribus adversa, fuit Decretum *Sess. XXV. Ref. cap.* 12. quo caussæ decimarum Ecclesiastico Tribunali addicuntur.

(**) XI. In Hispania aliter res se habet. Quum enim Tridentinum Concilium fuisset absque ulla limitatione receptum; hinc decimarum caussas ad forum Ecclesiasticum pertinere *laud. Cap.* 12. vestigiis inhærendo, edixit Colect. Tarracon. *Lib. II. Tit. XVIII. de Decimis a Cap.* 5. Decimarum autem nomine Primitiarum etiam et Oblationum comprehenduntur, quas omnes Ecclesiastici judicis peculiares esse agnovit Alphonsus Sap. *Leg. LVI. Tit. VI. Partit. I.* Verùm in fraudatorem Decimarum inquirere, illumque ad restitutionem compellere, et in ipsum animadvertere, Judex laicus potest: *Leg. III Tit. V. Lib. I. Novæ Recop.* minimè verò ad petitionem locatorum Decimarum inquisitio hujusmodi peragenda est: *Leg. V. ibid.* (*)

(**) XII. Ad Supremum Castellæ Tribunal spectat recursus *novarum Decimarum*, quum scilicet, Judex Ecclesiasticus jubet exsolvi Decimas ex his fructibus de quibus non consuevit unquam exsolvi; vel quum *Redecimam* exigere intendit; tunc enim retinendam esse consuetudinem, via Protectionis declarat idem Supr. Tribunal: *Leg. VI. Tit. V. Lib. I. Novæ Recop.* quem quidem recursum interponere quoque possunt personæ particulares ex Decret. ejusd. Supr. Senat. 24. *Octob. an.* 1761. Cognoscit itidem de violentiis, si quas forte perpetrent judices Conservatores Ordinis S. Jo. Hierosolymitani, ejusdem Ordinis Equites eximentes à Decimarum solutione: *Leg. VIII. ibid.* (*)

(**) XIII. Adhæc 1. Supr. idem Senat. participes Decimarum cogit ad Ecclesiarum, ex quibus Decimas accipiunt reparationem: *Remiss.* 2. *ejusd. Tit.*

2. Judices Regii, sicuti de aliis quibusve caussis Regiam auctoritatem, et Patrimonium respicientibus, ita etiam de caussis Decimarum, quæ Regio Patrimonio unitæ sunt, cognoscunt: *Adnot.* 28. *Tit. III. Lib. I. Novæ Recop.*

3. Ad caussas gratiam Excusati, de qua *Lib. II. Tit. VIII.* spectantes, erectum est Tribunale quoddam ex Comissario Generali S. Cruciatæ, et tribus personis Ecclesiasticis, una cum Regio Fiscali coadunatum, uti decrevit Benedictus XIV. in suo Brevi 7. *Septemb. an.* 1757. (*)

XIV. Olim jure æque communi, ac Neap. invadentes bona quævis, jurave Ecclesiastica Episcopali foro parebant, à quo per censuras ad restituenda injuste ablata compellebantur: *Can. III. VIII.* et *IX. Causs.* 12. *Q. II. Cap.* 2. *de Privilegiis*, Synodi Melphitana, et Salernitana in *Collect. Labb. Tom. XII. pag.* 165. Ughellius *Tom. VII. Ital. Sacr. in Archiep. Salern.* Porrò subsecuti Regni nostri mores possessoris personam potius, quam rem Ecclesiæ intuentes, jamdudum ejusmodi caussas in laicum tribunal invexere. Idem intelligas de caussis ad emphiteutas, conductoresque Ecclesiasticorum prædiorum spectantibus, aliisque Pontificio, vel Episcopali consensu initis conventionibus. Unde à regiis Censoribus adnotata quoque sunt Decreta, tum Trid. *ibid. Cap.* 11. tum Synodi Romanæ an. 1725. *Tit. XIX. cap. un.*

(**) XV. Jure Hispano invadentes bona Ecclesiæ à judice Ecclesiastico puniuntur; Syn. Penna-fidel. an. 1302. *Cap. XIII.* Vallis-olet. an. 1322. *Cap. XVIII.* Complut. an. 1347. *Cap. II.* et Collet. Tarracon. *Lib. V. toto Tit. XVII. de*

Sent. Excomm. in quo imago quædam tunc in his usitati processus exhibetur, et regula videtur præscripta iis, quæ constituenda essent à Syn. Trid. *Sess. XXV. Ref. cap.* 11. Addesis *Leg. LVIII. Tit. VI. Part. I.* quæ id genus caussarum, tanquam de sacrilegii delicto, ad Ecclesiam spectare decernit, uti et omnes omninò in quibus sacrilegium involvitur: multis quippe modis crimen hoc perpetrari declarat *Lex XVIII. ibid.* At quum aperte edixerit Lucius III. *Cap.* 8. *de Foro compet.* sacrilegii reum sub qualicunque judice conveniri posse; et aliæ Regni nostri leges sacrilegii facinus Ecclesiastico foro adscribant: *indic. Leg. LVIII.* et *Leg. II. Tit. II. Lib. I. Novæ Recop.* aliæ verò à laico cognoscendum esse, decernant: *Leg. IX. Tit. XVIII. Part. I. Leg. IV. Tit. II. Lib. I.* et *Leg. IX. Tit. XII. Lib. VIII. Novæ Recop.* videntur hujusmodi caussæ esse mixti juris, atque adeo præventioni locum esse. (*)

XVI. Caussas quoque ex iis contractibus emergentes, quibus voti, vel jurisjurandi sanctitas aliqua ratione admixta videretur, olim sibi vindicabant Episcopi, et quidem jure Decretalium: *Cap.* 13. *de Judiciis: Cap.* 2. *de Jurejurando in VI.* et *Cap.* 3. *de Foro Compet. in VI.* At id juris jamdiu antiquatum est. Quoties enim in ejusmodi caussis de jurejurando, ejusve vi excitentur quæstiones, hæ à judice laico, ceu accessoriæ, rite agitantur. Unde perjurii exceptio nullo impedimento est, cur judex laicus ulterius procedat. Quinimmo ubi instructo rite judicio constiterit, contractum vel ipso jure, vel ob aliquem juris defectum irritum esse, ipsum quoque juramentum, ceu contractui adnexum, ex se cadere existimant. Ceterum nemini sive laico, sive Clerico contra jurisjurandi religionem agere fas est, nisi rationabilem ob caussam à Summo Pontifice, vel ab Episcopo relaxationem impetret: *Cap.* 2. *et* 8. *de Jurejurando.* (**) Reges nostri, ne juramenti tantummodo ratione quæsita, his sese caussis immiscerent judices Ecclesiastici, constituerunt, ut laici in quacunque ineunda obligatione à jurisjurandi interpositione abstinerent sub pœna nullitatis, et gravissimis Tabellionibus pœnis impositis, si quam id genus obligationem conscriberent: *Leg. XI. et XII. Tit. I. Lib. IV. Novæ Recop.* (*)

XVII. Caussæ etiam Testamentariæ olim Ecclesiasticæ fuerunt: Fidelibus enim in usu fuit, jam indè à primis sæculis Episcopis sua testamenta consignanda tradere, iisdemque eorum exsecutionem committere, et quidem adsentientibus ipsis Imperatoribus: *Leg. XXVIII. Cod. de Episc. et Cler. Authent. eidem Legi* subjecta. Qua de re jure Decretalium 1. Caussæ omnes Testamentariæ, scilicet ubi de validitate, sollemnitatibus, aliisque id genus testamenta ipsa spectantibus ageretur, ad Ecclesiasticum Tribunal referebantur; passim in *Tit. de Testamentis.*

2. Alexander III. *Cap.* 10. *et* 11. *ibid.* omnem adhiberi fidem statuit Testamentis, præsertim ad pias caussas, à Parochis, aliisve Presbyteris coram duobus, tribusve testibus conscriptis. Id quod Benedictus XIII. in Syn. Rom. firmavit: *Tit. XX. cap.* 1.

Demum 3. Si quis intestatus decedebat, usus invaluerat, ut Testamentum per Episcopum suppleretur, ac certa hæreditatis portione piis operibus reservata, reliquum hæredibus legitimis dispertiretur: Gonzalez in *Cap.* 10. *et* 11. *ibid.* Thomass. *Part. III. Lib. I. cap.* 24. Eadem Syn. Rom. *ibid. cap.* 2. At verò tria hæc capita secutis temporibus, præsertim in Regno Neap. Ecclesiasticis Tribunalibus ademta sunt: Chiocc. *Tom. XVII. Archiv.* Unde II. Viri Argentius, et Crivellius notanda duxerunt *modo indicata* Syn. Rom. Decreta. Tum hac in re I. Syn. Provinc. Neap. *Cap.* 45. sic decreverat: *Censet Sacra Synodus consuetudinem, ut conficiant Episcopi testamenta eorum, qui intestati moriuntur omnino tollendam*

esse, etiam immemorabilem. Mox quidem viget, ut piæ defunctorum dispositiones, ubi duobus, aut tribus fidedignis testibus probatæ fuerint, suam in regiis tribunalibus consequantur exsecutionem. At illud quoque juris obtinet, ut si Parochus, aliusve Presbyter, vel eas à Testatore dictatas conscripserit, vel fiduciariam disponendi facultatem ab eo acceperit, unius dumtaxat testis vicem subeat. Demum quum illud præcipuè in caussa esset, cur caussæ Testamentariæ ad Ecclesiasticum Forum referendæ censerentur, quod Testamenta à Notariis Ecclesiasticis plerumque conficerentur; hinc jam indè ab an. 1571. à Card. Granvela Prorege Pragm. 2. *de Contractibus* sancitum est, ne Testamenta ab aliis, quam à Notariis regiis conscriberentur, adjecta quoque pœna falsi, et nullitatis Actorum. Porrò Regens Villanus jam adnotaverat Decretum Trid. *Sess. XXII. Ref. cap.* 10. de examine, et suspensione Notariorum, etiam laicorum. Postremò ex more jam inducto, ac Regio Diplomate 26. Novemb. an. 1750. firmato, regium Placitum Pontificiis Notariorum Apostolicorum Rescriptis denegari ut plurimum solet.

(**) XVIII. In Hispania Romano vigente jure, proculdubio Testamentariæ caussæ in Imperatoriis judiciis pertractatæ sunt, uti evincitur ex *Tit. de Testam. Cod. Theod.* Verùm sub Gotthorum Regum dominio, quum confusa, et permixta esset utriusque fori jurisdictio, ad Episcoporum judicium deductas esse hujusmodi caussas colligitur ex Syn. Tolet. X. ubi testamenta Martini, et Recimiri Episcoporum producta sunt, et dubia de ipsorum exsecutione suborta agitata sunt, et terminata, etsi Rex ipse Testamenti exsecutor relictus fuerit à Recimiro; unde nihil de Testamentis in *Foro Judicum* sancitum invenies. Abolita tamen præstantissima hac judiciorum forma, et adsignatis certis utrique Potestati limitibus, Regibus nostris hujusmodi caussas sibi reservare, vel potius recuperare visum est in *Lege III. de Toro.* Si quis tamen intestatus obierit, hæredibus qui non fuerint adscendentes, vel descendentes legitimi, injunctum est *Leg. X. Tit. IV. Lib. V. Novæ Recop.* quintam hæreditatis partem in funere, et suffragiis defuncti impendere; et ad id post annum elapsum à suis competentibus judicibus posse hæredes compelli. Sed quum nonnulli hac abuterentur lege, Carolus III. Pragm. Sanct. 2. Februarii an. 1766. quæ inserta est *Lege XVI. ejusd. Tit.* eam ad praxim revocandam, nihilque de ea detrahendum, neque ei addendum constituit, decernens, à nullo sive Ecclesiastico, seu Sæculari judice *inventarium*, ut vocant, de rebus defuncti posse confici; sed integra defuncti bona legitimis hæredibus esse deferenda, quorum quidem curæ sit de funere defuncti, juxta Regionis morem, et personæ conditionem providere, atque ad id, à suo unumquemque hæredem competenti judice cogi posse. (*)

XIX. Antiquitus jure æque civili, ac canonico Episcopis facultas erat prospicere, ut piæ fidelium dispositiones exsecutioni mandarentur, atque adeo fideles etiam laicos ad eas implendas adigere: *Leg. XXVIII. Cod. de Episcop. et Cler.* Justin. *Novell. CXXXI. Cap. II. Cap.* 3. *et* 17. *de Testam.* In Regno quidem Neap. istiusmodi caussæ habebantur, tanquam mixti fori, unde locus erat præventioni: DD. apud Gagliardum *ibid. n.* 19. Verùm an. 540. Neapoli jussu Pauli III. Tribunal Rev. Cameræ erectum est, eidemque Nuntius Apostolicus præfectus, cujus partes erant, in legata pia, aut caduca, aut neglecta inquirere, tum et ad his faciendum satis etiam laicos compellere, ut indè corrogata pecunia Fabricæ Ecclesiæ Vaticanæ S. Petri adhiberetur. Regiis quidem Rescriptis hujusce tribunalis potestas plures passa est limitationes; quibus ceteroqui gravibus hanc in rem irrepentibus abusionibus satis obviam itum non est: Card. de Luca *Disc. XX. de Relat. Cur. Rom. n.* 23. Donec tandem Reg. Rescripto Caroli VI. Imp. an.

1717. Fabricæ tribunal cum suis omnibus ministris suppressum prorsus est. Quum verò frequentes hac de re inter utramque potestatem lites exorirentur, hinc novissima Concordatorum lege provide decretum est, ut laici ad pia legata exsolvenda à laicis Judicibus adigantur, Ecclesiastici ab Ecclesiasticis: *Cap. IX. art.* 6. (**) At in nostro Regno Episcoporum curæ est, ut testamenta executioni mandentur; quocirca post elapsum ab obitu testatoris annum compellere possunt testamentarios, aut hæredes, ut præscripta in testamento legata omninò impleantur: Syn. Hispal. an. 1512. *Cap. IX.* Collect. Tarracon. *Toto tit. XIV. de Testamentis. Leg. VII. Tit. X. Partit. VI.* et *Leg. V. cap.* 5. *Tit. II. Lib. V. Novæ Recop.* Unde Visitatores deputantur ab Episcopis, ut testamenti exemplaria examinent, eaque exsecutioni mandari cogant. In quibusdam tamen Provinciis munus hoc proprium est Magistratuum. Videsis Gregorium Lopez ad *præf. Leg. VII.* (*)

XX. Postremo ad forum Ecclesiasticum jure Decretalium pertinent caussæ omnes miserabilium personarum, viduarum, pupillorum &c. eatenus, ut hisce personis suas civiles caussas, præsertim pecuniarias, etiam adversus laicos, in Ecclesiasticis tribunalibus agere fas esset. Hoc intuitu ad forum Episcopale laicorum caussæ haud raro trahebantur, et aliquando, Judice laico in exhibenda justitia negligente illam adversus laicum Judex Ecclesiasticus exercebat: *Cap.* 15. *et* 26. *de Verbor. Signif.* et *Cap.* 6. 10. *et* 11. *de Foro Compet.* Atqui utrumque hoc caput usu receptum non est, ac præcipue de posteriore ingenue fatetur Covarruvias Pract. Quæst. Cap. VI. n. 1. *Hoc certe scio, eam Canonistarum opinionem apud Regia Hispaniarum, et Galliæ Prætoria risui equidem fore; tantum abest, ut ea in usum, et praxim recepta sit.* Porrò meminerint Episcopi, ipsis, omnibusque curam animarum habentibus præcepto divino mandatum esse pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere: Trident. *Sess. XXIII. Ref. cap.* 10. Concil. Mediol. III. *Cap.* 18.

ARTICULUS V.

(**) DE CAUSSIS IMMUNITATIS. (*)

(**) XXI. Quum Canones, et Leges, quæ jus Immunitatis localis constituunt, de quo *Lib. II. Tit. XIII.* nihil de hujusmodi controversiarum judice decernant, dubium jamdiu exortum indè est, cuinam ex utriusque fori judicibus earundem caussarum cognitio pertineat. Quamvis enim Gregorius XIV. Motu proprio *Quum alias* 9. Kalend. Junii an. 1591. inserto Collect. Tarracon. *Tit. XXXI. de Immunit. Lib. III. cap.* 3. caussas immunitatis spectare ad Ecclesiasticum tribunal edixerit, non tamen generatim Constitutio hæc recepta fuit in Hispania, quin et de ea supplicatum fuisse, refert Nota margin. ad *Leg. VI. Tit. IV. Lib. I. Novæ Recop. antiquæ edit. Matrit. an.* 1640. ita ut in unaquaque Provincia is sit peculiaris hujusmodi caussarum judex, quem legitima præscripserit consuetudo. Apud Navarros Curia Major Regni cognoscit. In Aragonia usque ad Reginæ Eleonoris Concordatum coram sæculari judice caussæ istæ agitabantur; dein verò cumulative, ut ajunt, à duobus Arbitris, alio ab Ecclesiastico, alio verò à laico judice adsignato intra quinque dierum terminum dirimenda sunt, qui si in ferenda sententia non consenserint, hujusmodi caussæ intra triginta dies terminandæ devolvuntur ad *Competentiarum* Cancellarium, quæ est persona in Dignitate Ecclesiastica constituta, à Rege Catholico deputata; quæ quidem caussæ si intra

præscriptos dies à Cancellario non dirimantur, in favorem Ecclesiæ terminatæ intelliguntur: *Forum I. de Compet. Jurisdict.* et late Portoles *ibid.* In Castella demum Ecclesiastici judicis est, de hujusmodi caussis dijudicare. Videsis Ledesma in *Allegat. Fiscali ad calcem Histor. Bullæ Cœnæ edit. an.* 1768. (*)

ARTICULUS VI.

DE CAUSSIS CRIMINALIBUS FORI ECCLESIASTICI.

XXII. Caussæ Criminales jure Decretalium trifariam dividuntur: nimirum, ut 1. aliæ sint mere Ecclesiasticæ, scilicet, ubi agatur de criminibus adversus fidem, religionem, Sacramenta &c. aliæ 2. Profanæ, quibus in crimina Rempublicam lædentia inquiritur; uti Homicidium, Furtum, Rapina &c. aliæ demum 3. Communes, nimirum, quum de delictis Religionem simul, et Rempublicam violantibus tractatur: uti Adulterium, Perjurium, Blasphemia &c. Caussæ profanæ, et communes Foro laico, saltem jure novissimo, reservatæ sunt: caussas verò Ecclesiasticas solus cognoscit Judex Ecclesiasticus.

XXIII. Jam verò plura hac in re peculiaria præscribit Jus Neap. Ac 1. caussæ fidem spectantes, uti crimina hæreseos, et polygamiæ, ac exsecranda laicorum temeritas, qui vel sacrosanctum Missæ Sacrificium, aliave Sacrorum Ordinum ministeria peragere, vel fidelium confessiones excipere ausint, ex novissima Concordatorum lege Ecclesiasticæ Potestati reservata sunt: *Cap. VI. art.* 1. *et* 2.

2. In publicos peccatores, qui aliis offensioni sunt, uti sacrilegos, adulteros, concubinarios, usurarios, blasphemos, aliosque ejusdem furfuris homines, jus est Episcopi animadvertendi censuris, pœnisque tantum spiritualibus: Concordatum *ibid. art.* 5.

3. Festorum dierum violatores ex Reg. Edicto 3. Januarii 1749. pœnis dumtaxat spiritualibus ab Ecclesiastico, temporalibus à laico Magistratu plectendi sunt.

4. Demum si in foro laico, dum de atrociore quodam crimine agitur, quæstio incidat mere spiritualis: e. g. ex processu adversus sacrilegum quemdam sacræ pixidis furem, aut blasphemum, suspicio hæreseos emergat, Judex laicus ex inveterato tribunalium usu, quem Concordatum *ibid. art.* 5. comprobat, caussam una cum actis, ipsumque reum ad Curiam Ecclesiasticam remittit, ut ipsa de crimine hæreseos jus dicat: quo judicio peracto, reus denuo Judici laico tradendus est, ut procedat ad ulteriora. Igitur Concordati beneficio ab utroque foro eliminatæ sunt contentiones olim acerrimæ, ac frequentes de criminibus Mixti Fori.

(**) XXIV. Ad Hispaniam quantum attinet, ex *Leg. LVIII. Tit. VI. Part. I.* crimina, quorum spectat ad Ecclesiam cognitio, sunt Hæresis, Usura, Simonia, Perjurium, Adulterium, Sacrilegium. Hæresis itaque, simonia, et adulterium, in quantum est caussa divortii, sunt juris prorsus Ecclesiastici; atque hæresis ejusque species ad Sanctæ Inquisitionis Tribunal pertinet: reliqua, scilicet, usura, perjurium, sacrilegium, adulterium in se spectatum, et concubinatus sunt utrique foro communia, adeoque mixti fori; unde colligas Ecclesiam in externo foro de nullo alio dijudicare posse crimine, neque aliter intelligi posse *Cap.* 10 *de Judiciis.* Hic animadvertere non abs re erit, quod si judice sæculari de aliquo sui juris delicto cognoscente, aliquod mere spirituale inciderit, moribus invectum esse, ut processus, et reus Ecclesiastici judicis potestati tradantur, ut postquam de crimine Ecclesiastico cognoverit; priori sæculari judici processus, et reus remittantur, ut de principali cognoscat. (*)

ARTICULUS VII.

MULTIPLICI NOMINE CUICUI FORUM SORTIRI DATUM EST.

XXV. Quamvis omnium Ecclesiasticarum causarum, quæ in singulis emergant Diœcesibus, nonnisi Episcopus Diœcesanus judex sit ordinarius, potest tamen una eademque persona plura, variaque fora sortiri peculiaribus quibusdam titulis: nempe *Domicilii*, *Originis*, *Contractus*, *Delicti*, *Rei controversæ*, *Beneficii*, *Successionis*, *Prorogationis*, ac demum *Privilegii:* Gagliardus *ibid. Tit. IX.* (**) et *Lege XXXII. Tit. II. Part. III.* (*)

XXVI. Ac 1. dicitur quis alicubi domicilium constitutum habere, ubi multis annis incoluerit, atque in ejus animo voluntas inhæreat ibi perpetuo commorandi: id quod ex mora decennii dignoscitur, et ex majoris saltem suorum bonorum partis in domicilii locum invectione. Igitur potest quis in sui domicilii foro conveniri, quinimo ex aliena etiam Jurisdictione licet incolas quoscunque in domicilii forum trahere: *Leg. V. Dig. de Judiciis.*

2. Originem constituunt natales: unde ille Originis locus habetur, ubi quis ex parentibus ibi fixum habentibus domicilium natus sit. *Cives enim in primis facit Origo:* Leg. VII. Cod. de Incolis. Atqui ut quis ad Forum Originis trahatur, satis non est, ut ibi fuerit progenitus, sed etiam requiritur, ut ibi præsens sit: neque enim a loco, ubi jamdiu sibi constituerit domicilium in natali solo nisi præsens ibidem sit, in jus vocari potest: Fagnanus *ad Cap.* 1. *de Foro Compet. num.* 21.

3. Ratione Contractus potest quis compelli ad satisfactionem in ejus loci foro, ubi contrahendo onus subiit satisfaciendi. Qua de re tutori, curatori, et negotiorum gestori, ubi tutelam, curam, negotiaque gesserunt, ibi rationes reddendæ sunt: *Leg. I. Cod. Ubi de Ratiociniis*, *Leg. XXXVI. XXXVIII. L.* et *CII. Dig. de Judiciis.*

4. Ratione Delicti potest quis denuntiari, legitimisque pœnis adfici in loco, ubi delictum, vel inchoatum, vel commissum est: *Leg. I. Cod. Ubi de Criminibus*, et Justinianus *Novell. LXIX. cap.* 1. Idem quoque Canones efferunt, ac præsertim apud Gratianum *Can. IV.* et *V. Causs.* 6. *Q. III.* Innocentius III. *Cap.* 14. *de Foro Compet. et Cap.* 2. *de Privilegiis.*

5. Forum rei controversæ quis sortitur quantum ad actiones reales, atque adeo etiam mixtas, scilicet personales in rem scriptas. In his datur cuicui actio adversus quoscunque possessores, licet alibi domicilium, originemque habeant: *Leg. XXXIX.* et *L. Dig. de Judiciis.* Abbas in *Cap. ult. de Foro Compet.*

6. Eadem Beneficiarii Fori ratio videtur esse: scilicet Clericus in controversiis suum Beneficium spectantibus legitime in foro loci, ubi illud situm est, conveniatur: *Cap.* 3. *de Tempor. ordinat. in VI.* Trid. *Sess. XXIV. Ref. cap.* 3.

7. Ratione Successionis hæres licet absens, in proprio defuncti Testatoris Foro conveniendus est: *Leg. XIX. Dig. de Judiciis;* atque adeo lis cum defuncto incœpta in eodem foro ipsi suscipienda est: *Leg. XXIV.* et *XXXVI. ibid.* Ubi enim hæreditatem adit, cum defuncti creditoribus veluti contrahere videtur.

8. Ratione Prorogationis: scilicet quum quis Jurisdictioni Judicis incompetentis, ad cujus forum deductus est, litem coram ipso contestando, se subjicit. *Leg. I. et II. Dig. de Judiciis*, *Leg. XV. et XVIII. Dig. de Jurisdict.* Porrò Clerici laici judicis jurisdictionem prorogare vetantur: at dumtaxat in judicem incompetentem possunt consentire, quum is Persona sit Ecclesiastica, et Episcopi Diœcesani voluntas accedat: *Cap.* 18. *de Foro Compet.* (**) Idem quoque de temporalibus laicorum caussis intelligi oportet; quamvis enim ad Ecclesiastici judicis manum deductæ sint, nihil exinde jurisdictioni ejus accedit; imò eo ipso Actor sua cadet actione, et processus tanquam in irritum factus revocabitur: *Leg. X. Tit. I. Lib. IV. Novæ Recop.* (*)

9. Postremo Forum Privilegii sortiuntur Monachi, et regulares, qui speciali Sedis Apostolicæ prærogativa ab Episcopali jurisdictione sunt exemti; licet in multis adhuc Episcopis ipsis parendum sit: uti *Lib. I. Tit. ult.* exposuimus. Sunt quoque et Clerici sæculares nonnulli, qui ab Episcopali foro exemti forum habent Privilegii. Quinam verò vel Sæcularium, vel Regularium sint, qui hoc fruantur privilegio, videsis Gagliardum *Instit. Canonic. Lib. III. Tit. XII. et XIII.* ubi hæc copiose satis, ac erudite explicantur.

(**) XXVII. Profecto Hispani Cathedralium Ecclesiarum Canonici, Monachorum exemplis exstimulati simul ac regularem, quæ S. Augustini dicta est, disciplinam receperunt, sæculo nimirum undecimo ad exemtionum adsequenda privilegia properarunt. At longe diversa est Monachorum, ac Canonicorum exemtio; illa quippe plena est, et nihil pene relictum in quo Episcoporum jurisdictioni Monachi subsint etiam post Tridentinum de quo *Lib. I. Tit. XXXI.* hæc verò criminales ut plurimum tantummodo caussas respicit, ita ut in hujusmodi caussis Episcopus in Canonicos procedere nequeat, nisi adjunctis sibi duobus e Capitulo, ab ipso in unoquoque anno adsignandis: *Trid. Sess. XXV. de Ref. cap.* 6. illa mirabilis est, et toti retro antiquitati ignota, ac contraria, hæc nedum antiquæ Ecclesiasticæ disciplinæ non est adversa, quin et primigeniæ Conciliorum doctrinæ conformis. Episcopus enim nonnissi collecto Presbyterorum cœtu Clericorum delicta examinare, et sententiam in eos ferre solebat. Ita decrevit Syn. Hispal. II. *Can. VI.* his verbis: *Juxta Priscorum Patrum Synodalem sententiam nullus nostrum sine Concilii examine dejiciendum quemlibet Presbyterum, vel diaconum audeat.* Porrò antiquorum Patrum sententiæ exstant in Syn. Carthag. I. *Can. XI.* et Carthag. II. *Can. X.* Consonat. Syn. Tolet. XI. *Can. VII.* Brac. III. *Can. VII.* et Tolet. XIII. *Can. II.* Imò expedire admodum ita fieri censuit eadem Syn. Hispal. II. ibid. *Episcopus enim*, ait, *Sacerdotibus, et Ministris solus honorem dare potest, auferre solus non potest.* Et sane, audierant quippe sanctissimi illi Hispaniarum Patres conquestum in eadem Syn. Hispal. eodemque Can. *Fragitanum Cordubensis Ecclesiæ Presbyterum a Pontifice suo injuste dejectum, et innocentem exilio condemnatum;* et quod *multi* sint Episcopi, *qui in discussos potestate tyranica, non auctoritate Canonica damnant; et sicut nonnullos gratiæ favore sublimant, ita quosdam odio, invidiaque permoti humiliant, et ad levem opinionis auram condemnant.* Experientia noverant, *quod quidam ex fratribus* (Episcopis) *plus livore odii, quam correctionis studio subditos insequentes, dum se simulant spiritualem eis adhibere correctionem, indiscretam subito adferunt mortem, dum occultis eos judiciis sub pœnitentia puniunt:* ead. Syn. Toletana XI. laud. *Can. VII.* Nec ignorabant, *quosdam ex Fratribus tantis cædibus in honoratos subditos effervescere, quantis poterant latrocinantium promereri personæ:* laud. Synod. Bracar. III. *ibid.* (*)

CAPUT SEPTIMUM.

DE JUDICE.

I. Judex proprie dicitur, qui ita judicat, ut in eo publico munere fungatur. Et sane judicandi munus publicum est: *Leg. LXXVIII. Dig. de Judiciis.* Quare